

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5217

Auteur(s) : Urbain III [pape]

Bénéficiaire(s) : Gournay-en-Bray, Saint-Hildevert (église)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : [1186, 5 janvier-1187, 5 janvier]

Lieu d'émission : Vérone

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Urbain [III] prend les chanoines de Saint-Hildevert de Gournay sous sa protection et confirme leurs biens.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 279, p. 375-376.

Dissertation critique

Le 5 janvier 1186-1187 : datation proposée par J. Ramackers.

Texte établi d'après a

Urbanus episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis canonicis sancti Hyldeuerti de Gornayo salutem et apostolicam benedictionem. Ex officio susceptae administrationis inducimur et caritatis debito prouocamur uiros ecclesiasticos paterna caritate diligere eorumque uota effectu prosequente complere. Eapropter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus annuentes ecclesiam uestram cum omnibus bonis, que in presenciarum rationabiliter possidet aut in futurum iustis modis prestante domino poterit adipisci, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus. Specialiter autem in theloneo de Gornayo undecim libras Beluacensis monete, in minagio eiusdem uille quinquaginta sex solidos Beluacenses et quinque modios et duas minas frumenti et uiginti solidos Beluacenses in molendinis de Gornayo et decimam nundinarum predicti Gornaii et quatuor modios frumenti in molendinis de Andello et decimam molendinorum de Guelleboc et duos solidos ad Poteriam, hospites, quos habetis extra portam beate Marie, ab omni consuetudine liberos, ea excepta, quam uobis debent, et decimam totius terragii de Gornayo et decimam terre de Richeburgo et liberam possessionem ecclesiarum de Gornayo, medietatem decime molendini de Ferreriis, donationem ecclesie de Bosco Hugonis, decimam eiusdem uille et pensionem octo solidorum in ecclesia memorata et decimam molture ipsius uille et hospites, quos ibidem habetis, quatuor modios bladi et totidem auene in grangia de Montrosti, donationem ecclesie de Hodengel et sex solidos in eadem ecclesia nomine pensionis et donationem ecclesie de Forgis et quindecim solidos Beluacenses in eadem ecclesia nomine pensionis et duas partes decime de toto terragio de Braimostier, cuius decime tertia pars est thesaurarii Gornacensis, et decimam de Mesnil et de Freocort et decimam de Grumesnil et decimam de Longuapiru et decimam feodi Gambardi de Ernoumont et decimam de Beureil de feodo de Roseyo et decimam de Rauiriis, apud Auennas

decimam de feodo Hugonis de Gornayo et unum modium frumenti in decima de Buicort et quicquid habetis in decima de Pomereus, sicut predicta omnia iuste et sine controuersia possidetis, uobis et per uos ecclesie uestre auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Dat. Verone nonis ianuarii.